



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum II. Ex parte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

cedit, sufficiens præsumptio fraudis est, prout hic notavit *Francus n. 12. argum. L. dolus 10. Cod. de rescindenda venditione.* Ubi habetur, quòd dolus emptoris qua-

litate facti, non quantitate pretij æstimatur. ubi *Gl. marginalis.* dolus in venditione intervenisse probatur ex verbis, & actibus.

## TITULUS XX.

### DE FEUDIS.

**D**ostequam de contractibus, quibus rerum dominium directum transfertur, in præcedentibus titulis actum fuit, subjungitur nunc de Feudo, siquidem per contractum feudalem transfertur dominium utile, seu jus utilitatis; quare inter species alienationis prohibita Feudum numeratur, sicuti & emphyteusis.

#### CAPITULUM I.

##### Insinuazione.

###### PARAPHRASIS.

Ecclesia Cathedralis Mariensis cuidam M. villam, seu possessiones quasdam concesserat in Feudum. Postea idem M. ab Episcopo Mariensi pecunias mutuas accepit, & dictam villam, seu possessiones pignoris nomine obligavit. Hoc in casu ait Innoc. III. quòd Episcopus fructus ex villa perceptos in sortem computare non teneatur, dummodo interea temporis, quo fructus Ecclesia percipit, dictus M. à servitio, ratione Feudi, Ecclesie præstando immunis sit.

###### SUMMARIUM.

*Offenditur, casum hujus Capituli esse specialem.*

**N**otandum. Casus iste specialis est, in quo creditor ex pignore perceptos fructus in sortem computare non tenetur, si videlicet domino directo Feudum pignoris nomine obligatum sit, Ita etiam habetur in

*c. conquestus 8. de usuris. & docui lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 20.* ubi rationem attuli: quia indecens videtur, ut ipsemet dominus directus ex re propria penes ipsum ex voluntate alterius partis, videlicet debitoris, existente, acceptos fructus non lucretur, sed alij tradere teneatur. Quare ita judicandum, quòd interim, dum feudum pignoris loco domino traditur, Feudi contractus cesset, & consequenter etiam Vasallus à servitio, aut pensione interea liber esse debeat.

#### CAPITULUM II.

##### Ex parte.

###### PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Mediolanensis tria quæsitiva ex Innoc. III. Primum, si coniungat, Vasallum suæ Ecclesie mori, ita, ut Feudum ad Ecclesiam, & Archiepiscopum revertatur, num liceat alterum infeudare non obstante juramento, quo Archiepiscopus obstrictus est non infeudandi de novo, inconsulto Papâ. Alterum, si Vasallus Ecclesie Feudum alienarit, num de eo ipsius filium, aut consanguineum ejusdem Feudi consortem investire possit. Tertium, si Feudum alienatum sit, quod Ecclesia, seu Archiepiscopus facile recuperare non possit, an licitum sit alicui Laico, idem Feudum de novo concedere hac conditione, ut malè alienatum recuperet, & ab Ecclesia recognoscat. Ad omnia hæc quæsitiva respondet Pontifex affirmando.

M m 2

SUM-



1. Quando Prælati rem Ecclesie, non obstante juramento, de non infeudando, infeudare possit?
2. Cogi tamen non potest ad infeudandum.
3. Vasallus Feudum sine consensu domini alienans etiam filijs nocet.
4. Utrum, & quomodo pater Vasallus, filio in dotem dare possit feudum?
5. Ut res censetur infeudari solita, quot infeudationes factæ fuisse debeant.
6. Quando Ecclesia possit de feudo, quod ob delictum Vasallus amisit, potentior rem infeudare?

2 **N**otandum primum. Prælati non obstante juramento de non alienando, nec infeudando res Ecclesie, potest feuda aperta, & ad Ecclesiam reversa alteri libere, id est, arbitrato suo, & ut nemo se opponere possit, & infeudare, cum non censetur nova infeudatio, aut alienatio, sed olim decreta infeudationis executio, idemque eadem ratione dicendum de emphyteusi. Sicuti docui in c. ut super § not. 1. de rebus Ecclesie non alienandis. Excipe, si rerum statu mutato appareat jam non expedire, ut res olim infeudari, vel in emphyteusin dari solita de novo concedatur, quia v. g. Ecclesia inops facta est, & fructuum perceptione indigens, tunc concedi non potest. *argum. hujus cap. v. si videris expedire*, & docet Rosenthal de feudis c. 4. q. 36.

2 **N**otandum secundum. Non potest cogi Prælati, ut rem ad Ecclesiam reversam iterum infeudet, v. g. propinquiori hæredi, aut cognato defuncti. Ita sumitur ex hoc c. eodem v. & docet Rosenthal c. 4. concl. 17.

3 **N**otandum tertium. Vasallo prohibita est alienatio Feudi adeo, ut si sine domini consensu alienet, ipso jure privetur, & Feudum ad dominum revertatur, etiam exclusis filijs, & agnatis alijs. Ita sumitur ex hoc c. quando dicitur Feudum ad Ecclesiam reverti filio, vel consanguineo ejusdem

Feudi consorti concedi posse, ergo supponitur, filium fuisse privatum jure Feudi propter alienationem patris, & dubium tantum erat, utrum non obitante delicto patris, filio possit de novo concedi. Ita explicat Abb. n. 5. & 9. & alij in Gl. v. vestire. & constat ex libro 2. feudorum tit. 24. §. ult. ibi. quia dominum contentum videtur Vasallus alienando feudum sine consensu ejus; quare idem dicendum, Vasallus ob injuriam, seu ingratitude ad versus dominum Feudum perdere, ut non ad filios, vel agnatos, sed ad dominum revertatur, sicuti docui lib. 3. tit. 4. c. 12. Quæstio est prima. Num pater Vasallus filie feudum dare possit in dotem. Ad hoc responderi, Gl. hic v. feudum, quod dari possit ad vitam Vasalli. Idem docet Innocentius in c. super de donationibus inter virum, & uxorem Sed rectius negatur feudum in dotem dari posse à Vasallo sine consensu domini, quia textus lib. 2. feudorum tit. qualiter olim poterat &c. §. dote, absolute id negat, & docet Clarus v. feudum. q. 36. Rosenthal de feudis c. 4. memb. 1. q. 5. At verò commoditatis fructus annuus ex re feudali in dotem dari nihil prohibet ad vitam Vasalli, ita ut propter ad eos dando, dum ipse vivit, personalit tantum obligatione teneatur. Sum explicat Rosenthal n. 1. Gaill. lib. 1. observatione 117. n. 7. & sumitur ex generalis doctrina apud Bartolum in L. si quis ususfructus ff. de pignoriibus. licet ususfructus à fructuario alienari non possit, ut ipsum jus transferatur, posse tamen vendi commoditatem utendi L. arboribus §. usufructuarius ff. de usufructu. Rationem dare debemus, quia hoc modo immutatur conditio feudi, cum idem Vasallus, eademque ejus obligatio, atque jus permaneat. Id porrò concessum esse patet Clarus & Rosenthal cit. locis, quod si maritus habens feudum femineum, id maritus in dotem dare possit absque domini consensu, licet tutius sit eum adhibere. Ratio est quia in hoc casu ipsa uxor dominum, &



quodammodo possessionem civilem retinet, atque fundus dotalis marito datur duntaxat, ut commoditatem inde, & fructum ad familiam, ipsamque uxorem alendam percipiat, donec matrimonium solutum sit: quam ob rem non potest fundus feudaliter alienari, nisi in dorem, ita ut venditio esse censetur, neque potest pactum apponi de lucranda dote, nam tale pactum, cum sit contra naturam rei feudalis, irritum censetur teste Rosenthal cit. q. 2. n. 8. Quæstio 2. secunda. Quot infeudationes præcessisse opus sit, ut res denuo sine solemnitatibus à Prælo infeudari possit. De hac re sunt variz sententiæ apud eundem Rosenthal c. 4. concl. 29. Probabile autem, & tutum est, ut dicamus, satis esse, quòd res semel fuerit in feudum concessa, & ad Ecclesiam reuerfa, ac nondum incorporata.

argum. hujus c. in quo aliud non requiritur; & ita docet Abb. in c. ut super n. 11. de rebus Ecclesie non alienandis. si subfit eadem causa in feudum vel emphyteusim dandi, satis esse, si semel concessio facta fuerat.

Notandum quartum. Si feudum, quod ob delictum Vasalli ad Ecclesiam reuerfum est, à Vasallo, vel altero, cui ipse alienavit, recuperari non possit, vendi, vel in feudum dari potest alicui potentiori, per quem recuperetur. Ita sumitur ex hoc, c. idque favore Ecclesie specialiter constitutum fuisse admonet hic Imolan. 30. Sed aliam quamcunque rem non est concessum Prælo in feudum concedere alicui potentiori eam ob causam, quòd à possessore vel detentore recuperari non possit, nisi juris adhibitis solemnitatibus, prout ex communi tradit Abbas hic n. 5. Rosenthal cit. c. 4. concl. 16.

## TITULUS XXI.

### DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

#### CAPITVLVM I.

#### Nullus.

#### PARAPHRASIS.

Sacri calices, patenz, vestimenta sacerdotalia, & liber Ecclesiasticus, tabernaculo, vel negotiatori, aut cuiunque Laico, vel faminz, obligari, vel in vadium sive debiti securitatem dari non debent, nisi justissimâ urgente necessitate.

#### SUMMARIUM.

1. Possunt quidem bona Ecclesia per gentem hypothecam obligari, non tamē veniunt sub hac obligatione vasa sacra, aut sacra suppellex.
2. Possunt tamen hæc talia pignoris loco Laico etiam obligari ex iisdem causis.

Mm 3

& so

**Q**uandoquidem alienationibus, & contractibus, de quibus hætenus dictum, Pignora, aliæque cautiones, de iuris iudicio videlicet fidei iuraciones, & iuramenta adijci solent, in securitatem conventionis, ac debiti, idè de his tanquam accessorijs hoc in loco agitur. Verum tamen nomine cautionis, si simpliciter probatum reperitur (& non adijciatur vox idonea) nec pignus, nec fidei iussio, sed simplex, ac nuda promissio intelligi solet, uti habetur in L. 3. Cod. de verborum significatione.

